

20. Accedit, quòd Iohannes Spiritum Sanctum unum prædicat cum Patre & λόγῳ: certè non accidentalis alicujus unitatis, quæ in Patrem & λόγον minimè quadrat: Sed respectu illius unitatis, quæ in ἑσία divina consistit. 1. Ioh. 5, 7.

21. Deindè verò idem patet ex Essentialibus illis ἰδιώμασι sive attributis, quæ soli D E O propria; Spiritui autem Sancto passim in scripturis tribuuntur: Qualia sunt Aeternitas Hebr. 9, 14. Gen. 1, 2. Ies. 40, 13. Omniscientia Ioh. 14, 26. c. 16, 13. 1. Cor. 2, 10 & 11. 1. Pet. 1, 11. Act. 1, 16. c. 20. 2. 3. 1. Tim. 4, 1. Omnipotentia 1. Cor. 12, 6. Sap. 7, 23. Infinitas. Psal. 139, 7 & seqq. Sap. 1, 7. Rom. 8, 9. 1. Cor. 3, 16. c. 6, 19. 2. Tim. 1, 14.

22. Quò pertinet & illud, quòd Spiritus Sanctus abstracta voce dicitur esse VERITAS 1. Ioh. 5, 6. id quòd nulli certè creaturæ competit, sed solius Divinitatis solum & testimonium esse, piè creditur.

23. Tertiò, ipsa quoque Personalis Spiritus Sancti proprietas, æterna nimirum ejus à Patre Filioq; Processio, divinam ipsius Essentiam infal-libiliter confirmat. Fieri enim nequit, ut ulli creaturæ conveniat, à D E O intra ipsam Deitatis ἑσίαν procedere: id quòd ex ijs, quæ de secunda questione disputabimus, patebit manifestius.

24. Quartò: